PASSIO SANCTI BLASII. GREGORIUS MAGNUS. VITA SANCTI BASILII
3. Viertel 12. Jh. Seite 52r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36561
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



onis et inundationis. ut demensa caput iam cum tonitruo
leuaret. quasi unum ideoque esset momentum et caput leuare.
et pluuias deponere. Tunc uir dei inter corruscos tonitrus.
atque ingentis pluuie inundationem. uidens se admonas-
terium non posse remeare. cepit conqueri contristatus dicens
Parcat tibi omnipotens deus soror. quid est quod fecisti. Cui illa re-
spondit. Ecce te rogaui et audire me noluisti. rogaui
dominum meum et exaudiuit me. Modo ergo si potes egrede-
re. et me dimissa ad monasterium recede. Ipse autem exire
extra tectum non ualens. qui remanere sponte noluit. in lo-
co remansit inuitus. Sicque factum est ut totam noctem per uigilie
ducerent. atque per sacra spiritalis uite colloquia. sese uicaria re-
latione satiarunt. Qua de re dixi eum uoluisse aliquid. sed mi-
nime potuisse. quia si uenerabilis uiri aspicimus mentem. du-
bium non est. quin eandem serenitatem uoluerit. in qua des-
cenderat permanere. Sed contra hoc quod uoluit. in uirtu-
te omnipotentis dei ex femine pectore miraculum inuenit. Nec
mirum quod plus illo femina que diu fratrem uidere cupie-
bat. in eodem tempore ualuit. Quia enim iuxta iohannis uocem
os caritas est. iusto dei iudicio illa plus potuit que plus ama-
uit. PETRUS Fateor multum placet quod dicis. GREG

Cumque die altero eadem uenerabilis femina scolasti-
ca ad cellam propriam recessisset. uir dei ad monasterium redi-
it. cum ecce post triduum in cella consistens. eleuatis in
aera oculis. uidit eiusdem sororis sue animam de eius corpore
egressam. in columbe specie celi secreta penetrare. Qui
de tanta eius gloria cum gaudens omnipotenti deo ymnis et laudibus gratias